

EPISTOLA CUIUS SUPRA AD OMNES ORIENTALES EPISCOPOS

FABIANUS EPISCOPUS URBIS ROMAE omnibus orientalibus episcopis et  
cunctis fidelibus in domino salutem. 1

5 Exigit dilectio vestra sedis apostolicae consulta, quae vobis denegare non debe- 2  
mus nec possumus. Hoc autem et praedecessoribus nostris multarum regionum  
episcopis egisse liquet, et nos, qui in eadem sede domino largiente collocati su-  
mus, agere debere fraterna caritas et oboedientiae debitum compellit. Cura est  
ergo vestrae sollicitudinis adhibenda, ut ea, quae sunt ab apostolis eorumque suc-  
cessoribus ordinata et instigante sancto spiritu instituta, nec dissimulatio negle-  
10 gere nec aliqua praesumptio valeat perturbare. Sed sicut hoc, quod rationis exige-  
bat utilitas oportuit definire ita, quod definitum est, non debet violari.

Litteris vestris vero inter caetera insertum invenimus quosdam religionis 3  
vestrae episcopos a vestro nostroque ordine discrepare et non per singulos annos  
in caena domini chryisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti  
15 chrysmatis semel acteon servare. Dicunt enim, ut in memoratis reperimus apici-  
bus, nec balsamum per singulos annos posse reperire nec necesse fore per singu-  
los annos chryisma conficere, sed dum una confectio chrysmatis abundat, aliam  
fieri necesse non habere. Errant enim, qui talia excogitant, et mente vesana potius  
quam recta sentienti haec audiunt. In illa die dominus Iesus, postquam cenavit  
20 cum discipulis suis et lavit pedes eorum, sicut a sanctis apostolis praedecessores  
nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chryisma conficere docuit. Ipsa enim lava-  
tio pedum nostrorum significat baptyssimum, quando sancti chrysmatis unctione  
perficitur atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei sollemnitas per singulos annos  
est celebranda, ita ipsius sancti chrysmatis confectio per singulos annos est  
25 agenda et de anno in annum renovanda et fidelibus tradenda, quia novum sacra-  
mentum est et per singulos annos in iam dicto die innovandum et vetus in sanctis  
ecclaeiis cremandum. Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus  
vobisque tenenda mandamus. Haec sancta Romana ecclesia et Anthiochena a  
tempore apostolorum custodit, haec Hierusolymorum et Ephesiorum tenet, in  
30 quibus apostoli praesidentes haec docuerunt et vetus chryisma incendi ac non am-  
plius quam uno anno uti permiserunt, atque deinceps novo frui et non veteri  
iubentes docuerunt.

Si quis ergo his obviare temptaverit, omnem sibi per nos et per omnes recte 4  
intellegentes indulgentiae aditum intellegat obseratum, quia pravissimarum men-  
35 tium perversa doctrina, dum indulgentius frenis utitur, in praevaricationem praes-  
umptionis dilabitur et nullatenus eruitur, nisi prudentium sustentatione et correc-  
tione liberetur. Illa autem, quae circa divina mysteria et erga baptizandos in uni-  
verso mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non ocioso contemplanda sunt in-  
tuitu, ne locum supervacuis intentionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes  
40 ad talia non debemus inducere, quia docendi sunt potius quam inludendi. Ad  
nostram enim laetitiam bene facta perveniunt, et meroris aculeis nos, quae fuerint

11 debet] *corrected from debetur* 12 Litteris vestris] *in margin: Quod chryisma per singulos annos in  
cena domini debet conficere* 15 acteon] *above line: vel actum; read actam* 18 potius] *corrected from  
potens* 20 eorum] *eorum et before correction (et expunged)* 21 nobisque] *corrected from  
nosque conficere] erroneously copied confice|cere* 22 nostrorum] *above line: vel nostrum* 24 est  
celebranda] *over erasure* 25 annum] *corrected from anno* 29 Hierusolymorum] *corrected from  
hierosolimorum* Ephesiorum] *corrected from ephesianorum* 31 novo] *corrected from  
nova* 34 obseratum] *obse\*ratum: corrected from obsecratum?* 38 agit] *\*agit*

male facta, compungunt. Hic vero, inter manus latronum et dentes luporum furentium utcumque versamur, et contumaces sunt subditi atque oves. Nam latratu canum baculoque pastoris luporum rabies deterrenda est. Illa vero, quae fomentis non sanantur vulnere, ferro abscidi necesse est. Nec silere possumus, cum hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu in speluncis a domino constituti, ut vigilantiae nostrae diligentia comprobantes et, quae coerenda sunt, reseceamus et, quae observanda sunt, sentiamus.

5 Consulere etiam nos, ut in praedictis litteris vestris invenimus, super accusa-  
47r tione sacerdotum voluistis, quae oppido apud vos, ut in eisdem apicibus reperi-  
mus, crebrescit. Significastis insuper plerosque attendere, multos in ipsis honori-  
bus ecclesiasticis non congruenter vivere sermonibus et sacramentis, quae per eos  
populis ministrantur. O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur,  
qui et multo ante praedixit, ut legi dei potius obtemperetur quam imitandi  
videantur illi, qui ea, quae dicunt, non faciunt et traditorem suum tolerans usque  
in finem etiam evangelizandum cum ceteris misit. Nam apostoli talem consuetu-  
dinem non habuerunt nec habendam docuerunt. Similiter et successores eorum,  
quamquam multa de talibus praevidentes spiritu dei futura statuerint. Porro, ut  
legitis in actibus apostolorum, erat eo tempore inter fideles cor unum et anima  
una, neque aliquis eorum aliquid suum proprium dicebat, sed erant illis omnia  
communia. Nulla enim inter eos accusatio nisi familiaris erat, nec umquam inter  
imitatores eorum aut fideles fieri debet dicente domino: Quod tibi non vis fieri  
alii ne facias. Et idem: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et: Dilectio pro-  
ximi malum non operatur.

6 Ipsi ergo apostoli et successores eorum olim statuerunt eos ad accusationem  
non recipi, qui sunt suspecti vel qui heri aut nudius tertius vel dudum fuerunt in-  
imici, quoniam suspecti facti sunt, et qui non sunt bonae conversationis, vel quo-  
rum vita est accusabilis, aut dubii in recta fide, similiter quorum fides, vita et  
libertas nescitur, vel qui infamiae maculis sunt aspersi, aut sceleribus inretiti,  
neque eos sacerdotes debere aut clericos accusare, qui rite sacerdotes fieri non  
possunt nec sui sunt ordinis, quoniam, sicut sacerdotes vel reliqui clerici a secula-  
rium laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi et ali-  
enandi criminatione, et sicut isti ab illis, ita et illi ab istis non recipiantur, quo-  
niam, sicut domini sacerdotum segregata debet esse conversatio ab eorum, ita et  
litigatio, quia servum dei non oportet litigare. Tales, karissimi fratres, accusatio-  
nes et iniustas aut nocivas aemulationes pro viribus prohibete, quia contentio  
summopere est vitanda.

7 Septies enim cadit iustus in die et resurgit, impii autem corruent in malum.  
Cum ceciderit inimicus tuus, ait Salomon, ne gaudeas, et in ruina eius non exalta-  
bitur cor tuum, ne forte videat dominus et displiceat ei, et auferet ab eo iram  
suam. Ne contendas cum pessimis nec aemuleris viros malos nec desideres esse  
cum eis, qui rapinam meditatur mens eorum et fraudes labia eorum loquuntur.  
Haec cavete, karissimi. Haec meditamini et fratribus in omnibus solatium praes-  
tate, quia in hoc cognoscent omnes, ut ipsa per se veritas ait, quoniam mei estis  
discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

42 latronum] corrected from latronem 45 ut] added above line 46 instinctu] instinctu\* 49 Consulere etiam] in margin: De accusatione sace[r]dotum 55 tolerans] corrected from toleraris 63 alii] added above line 68 in] over erasure 69 inretiti] corrected from inrecita 74 sacerdotum] -um over erasure ab] added above line

Si enim in rebus saecularibus suum cuiusque ius et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis disputationibus nulla debet induci confusio? Quod ita observatione observabitur, si nihil potestati, sed totum aequitati retribuitur. Unde constat episcopis locorum singulorum omnium, qui sub eorum degunt moderamine, curam habere sollicitam, causas utilitatesque eorum cum dei timore disponere. Valde ergo iniquum est, ut alii quilibet omissis illorum suis se causis admisceant, sed illi eorum vitam et iudicium competenti regularique debeant moderamine disponere, qui eos in sacerdotium ordinant, et a quibus iam ordinati sunt, quoniam, ut lex loquitur, maledictus est omnis, qui transfert terminos proximi sui, et dicit omnis populus: Amen.

Deus ergo, fratres, ad hoc praeordinavit vos et omnes, qui summo sacerdotio funguntur, ut iniustitias removeatis et praesumptiones abscidatis et sacerdotio laborantibus succurratis et obprobiis et calamitatibus eorum locum non praebeatis, sed ei, qui calumniam et obprobrium patitur, adiutorium feratis. Illum vero, qui calumniam vel obprobrium facit, abscidatis et domino in suis sacerdotibus opem feratis. Sacerdotes quoque dominus sibi elegit, ut sacrificent ei et offerant oblationes domino. Levitas sub eis esse iussit in ministeriis eorum, unde ad Moysen loquitur dicens: Princeps autem principum levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiae sanctuarii. De his enim locutus est dominus ad Moysen: Tolle levitas pro primogenitis filiorum Israel et pecora levitarum pro pecoribus eorum, eruntque levitae mei, ego dominus. Si levitas suas esse dominus voluit, quanto magis sacerdotes sibi ascivit, de quibus ait: Si quis externorum accesserit, morietur. Omnia vero, quae domini sunt, caute tractanda sunt et non leviter precipitanda, quoniam et inter homines pro fidelibus habentur, qui minorum suorum causas bene custodiunt et fideliter tractant atque dominorum praecepta custodiunt et non transgrediuntur. Pro infidelibus vero reputantur hi, qui minorum suorum causas incaute et negligenter tractant et praecepta eorum despiciunt et non, ut debent, custodiunt.

Haec ideo praemisimus, ut cognoscatur ab his, quibus incognitum est, quod et sacerdotes, quos sibi dominus de omnibus ascivit et suos esse voluit, non sunt leviter tractandi nec lacerandi vel temere accusandi aut repraehendendi nisi a magistris suis, quoniam eorum causas sibi dominus reservare voluit et suo iudicio vindicari. Nam in his et aliis domini praeceptis et fideles agnoscuntur et infideles reprobantur. Tolerandi enim hi sunt potius a fidelibus quam exprobandi, veluti palea cum tritico usque ad ultimum ventilabrum, sicut pisces mali cum bonis usque ad segregationem, quae futura est in litore, hoc est in fine saeculi. Nullatenus ergo potest condempnari humano examine, quem deus suo iudicio reservavit, quia propositum dei, quod decrevit salvare, quod perierat, stat immobile. Et ideo, quia voluntas eius non mutatur, nullus praesumat ea, quae sibi non sunt concessa.

Unde est illud, quod apostolus loquitur dicens: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum, quare non magis iniquitatem patiamini? Quare non potius fraudamini? ut ad illud redeatur, quod dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere et in iudicio tecum contendere, dimitte ei et pallium. Et alio loco: Qui aufert, que tua sunt, ne repetas. Sunt autem quaedam, quae levissima

101 offerant] *corrected from offeret (?)* 107 ascivit] *asci\*vit* 111 Pro infidelibus] *repeated in margin* 114 Haec ... praemisimus] *in margin: Quod sacerdotes leviter non sint tractandi* 115 quos] *corrected from quod* 121 segregationem] *corrected from segregatio* 123 decrevit] *corrected from crevit* 127 ut] *added in margin*

- putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis umquam  
dicenti fratri suo fatuae reum gehenne putaret, nisi ipsa veritas diceret? 130
- 12 Illi vero, qui illa peccata perpetrantur, de quibus apostolus ait, Quoniam, qui  
talìa agunt, regnum dei non consequentur, valde cavendi sunt et ad emendatio-  
nem, si voluntarie noluerint, compellendi, quia infamiae maculis sunt aspersi, et in  
baratrum delabuntur, ne si eis sacerdotali auctoritate subventum fuerit, similiter et 135  
illi, de quibus ipse ait: Cum huiusmodi hominibus nec cibum sumere, quia infam-  
ia sunt notati, antequam sacerdotali auctoritate sanentur et gremio sanctae ma-  
tris ecclesiae redintegrentur, quia, qui extra nos sunt, nobiscum communicare non  
possunt. Manifestum est enim, quod hi extra nos sunt et a nobis discreti esse  
debent, cum quibus nos nec edere nec cibum sumere licet. Similiter et omnes 140  
personae quibuslibet turpitudinibus subiectae infames sunt effecti, et omnes, qui  
adversus patres armantur, infames efficiuntur.
- 13 Arenam vero et salem et massam ferri facilius est portare quam hominem in-  
prudens et fatuum atque impium, quoniam, qui notatur corde, cogitat in anima,  
et vir imprudens et errans cogitat stulta. Multos enim supplantavit suspicio illorum 145  
et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in novissimo et,  
qui amat periculum, in ipso peribit. Cor ingrediens vias non habebit requiem, et  
pravi cordis in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus, et pecca-  
tor adiciet ad peccandum.
- 14 Talia cogitantes sancti apostoli eorumque successores spiritu dei repleti malos 150  
homines praevidentes et simplices considerantes difficilem aut numquam voluer-  
unt esse accusationem sacerdotum, ne a malis potuissent everti aut submovere,  
quia, si hoc facile concederetur saecularibus et malis hominibus, aut nullus aut  
vix perpauci remanerent, quoniam semper fuit et est, et, quod peius est, nimis  
viget, ut mali bonos persequantur, et carnales spiritualibus infestent. Idcirco, ut 155  
praedictum est, statuerunt, ne accusarentur aut, si aliter fieri non posset, perdiffi-  
cilis eorum fieret accusatio, et a quibus supradictum est, non praesumeretur, ne-  
que a propriis sedibus aut ecclesiis episcopi eicerentur.
- 15 Quod si quoquo modo presumptum fuerit, antequam et proprius locus et sua  
omnia eis legibus redintegrarentur, nullatenus a quoquam accusarentur aut crimi-  
narentur, et nisi sponte elegerint, cuiquam pro talibus non responderent, sed post-  
quam, ut praefixum est, restituti fuerint et sua omnia eis legibus redintegrata dis-  
positis ordinatisque suis magnum spatium tractandi causa eis concederetur. Et  
postea, si necesse fuerit, regulariter vocati venirent ad causam, et si iustum visum  
fuerit, accusantium propositionibus sustentatione fratrum responderent. Nulla 165  
enim permittit ratio, dum ad tempus eorum bona vel ecclesias atque res ab aemu-  
lis aut a quibuscumque detinentur, ut aliquid illis obicere debeat, nec quicquam  
48r potest eis quoquo modo quilibet maiorum vel minorum obicere, dum ecclesiis vel  
rebus aut potestate carent suis.
- 16 Similiter statutum est et nos eadem statuta firmantes statuimus, ut, si aliquis 170  
clericorum suis episcopis infestus aut insidiator fuerit eosque criminari temptave-  
rit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum iudicium submotus a clero

130 graviora] -iora *over erasure* 132 de] *corrected to e* 150 Talia cogitantes] *in margin*: Apostoli eorumque successores difficilem aut numquam voluerunt esse accusationem sacerdotum 153 quia] *corrected from qua* 165 sustentatione] *corrected from sustentione* 171–172 eosque ... fuerit] *added in margin* 172 examinatum] *corrected from examinatur* (?)

curiae tradatur, cui diebus vitae suae deserviat et infamis absque ulla restitutionis  
spe permaneat. Nec ullus umquam praesumat accusator simul esse et iudex vel  
175 testis, quoniam in omni iudicio quattuor personas necesse est semper adesse, id  
est iudices electos et accusatores atque defensores ac testes.

Similiter statuentes apostolica auctoritate iubemus, ne pastorem suum oves, 17  
quae ei commissae fuerant, nisi in fide erraverit, reprehendere audeant, quia facta  
praepositorum oris gladio ferienda non sunt, neque potest esse discipulus super  
180 magistrum dicente veritatis voce: Non est discipulus super magistrum nec servus  
super dominum suum. Odibilis autem coram deo et hominibus est superbia et  
exsecrabilis omnis iniquitas. Perdit deus memoriam superbiorum et reliquit me-  
moriam humilium sensu. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet deum.  
Semen autem hoc exhonorabitur hominum, quod praeterit mandata domini. In  
185 medio fratrum rector illorum in honore, et qui timent dominum, erunt in oculis  
eius. Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam et da illi honorem,  
cui honor competit. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, et cum inter-  
rogaveris, corripe iuste. Priusquam audias, ne respondeas verbum, et in medio  
seniorum ne adicias loqui. Exemplo Cham filii Noe damnantur, qui patrum suo-  
190 rum culpas in publico produnt, aut eos accusare vel detrahare praesumunt, veluti  
Cham, qui patris sui Noe pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Simili-  
ter et illi exemplo Sem et Iafeth iustificantur, qui reverenter operiunt et non pro-  
dunt ea, quae patres suos excessisse cognoscunt.

Si enim a fide deviaverit episcopus, erit corrigendus prius secreta a subditis. 18  
195 Quod si incorrigibilis, quod absit, apparuerit, tunc erit accusandus ad primates  
suos aut ad sedem apostolicam. Pro aliis vero actibus suis magis est tolerandus ab  
ovibus et subditis suis quam accusandus aut publice derogandus, quia, cum in eis  
a subditis delinquitur, eius ordinationi obviatur, qui eos eis praetulit dicente apos-  
tolo: Dei ordinationi resistit, qui potestati resistit. Qui vero omnipotentem deum  
200 metuit nec contra evangelium nec contra apostolos nec contra prophetas vel sanc-  
torum patrum instituta aliquid agere ullo modo consentit.

Sacerdotes ergo honorandi sunt, non lacerandi vel exprobrandi, sicut legitur in 19  
Ecclesiasten: In tota anima tua time deum et sacerdotes illius sanctifica. In omni  
virtute tua dilige eum, qui te fecit, et ministros eius non derelinquas. Honora  
205 deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis. Da  
illi partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis et de negligentia  
purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum et sacrificium sacrificionis offe-  
rens domino et initia sanctorum et pauperi porrige manum tuam, ut propitiatur  
propitiatio et benedictio tua.

Haec non tantummodo vobis, sed omnibus fratribus per vos nota fieri volumus, 20  
210 ut unanimes unum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem  
nobis neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed deo salvatori  
nostro placentes, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

174 Nec ... umquam] *in margin*: Quod non debeat accusator simul esse et iudex vel testis 176 ac] *corrected from* atque 186 Fili] *corrected from* Filii 188 iuste] *added above line* audias] *corrected from* audeas 189 damnantur] *corrected from* damnentur 194 Si ... fide] *in margin*: De corrigendis episcopis 197 ovibus] *corrected from* oribus in] *added above line* 213 cui] *corrected from* cuius